



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Cursus Biennalis Studii Canonici, Sive Succincta Et
Methodica Sacrorum Canonum Explanatio**

Engelhard, Johann Martin

Moguntiae, 1700

Titulus XXXIV. De Treugâ & Pace.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63255](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63255)

Ad hanc obedientiam non Pontifici tantum sed & Episcopis præstandâ tenentur omnes fideles, Principes, Reges & Imperatores juxta præceptum S. Petri, *cap. 4. b. t.* quia licet Reges & Imperatores quoad Jurisdictionem & dignitatem regalem super Episcopis superiores, potestas tamen secularis minor est potestate ecclesiasticâ, quemadmodum corpus minus & vilius est animâ. Quare omnes illi qui obedientiam exhibere recusant Pontifici, Vicario Christi in terris & successori St. Petri, quemadmodum ex ovili Christi, & gremio S. Matris ecclesie exclusi sunt, sic sine ullâ spem consequendi salutis, æternum manebunt, *extravag. unam sanctam 1. b. t. inter communes.*

TITULUS XXXIV.

De Treugâ & Pace.

QUÆRES 1. Quid sit Treuga & quomodo duplex? Respond. Treuga sive armistitium germanicè ein *Un- oder Stillstand* de *Waffen* / est securitas rebus & personis præstita, discordiâ nondum finitâ; quo nomine foedera & induciæ veniunt, differt à pace, quod pax discordiam omnino tollat & dirimat, treuga autem discordiâ adhuc durante, securitatem præbet. *l. 1. ff. de pac. l. postliminium. §. induciæ ff. de capt. & postl. revers.* Treuga duplex est, legalis sive canonica, & conventionalis. Treuga canonica est, quæ per sacros Canones introducta fuit. Estque vel temporalis vel perpetua. Temporalis est securitas certo tempore,

sive certis diebus, omni homini communiter concessa. hæc temporalis treuga durat feriâ quintâ in honor m Christi ascend ntis ad cælos, feriâ sextâ ob passionem Domini, die Dominica propter resurrectionem Domini; ab adventu usque ad octavam Epiphaniæ, & à Septuagesimâ usque ad octavam Paschat s. *cap. 1. b. t.* perpetua est, quæ personis privilegiatis absque ullâ temporis præfinitione conceditur. hæc securitate gaudebant olim inter arma Clerici, Religiosi, Peregrini, Mercatores, & rustici cum animalibus, servis & instrumentis rusticis, sive in ipsâ agriculturâ fuerint, sive eos se conferant, sive redeant. *cap. 2. b. t. can. si quis. caus. 24. quest. 3.* Quos sub pœna excommunicationis nemo turbare audebat. *cap. 1. b. t.* hodie autem invalescente indies belligantium crudelitate, treuga hæc exolevit. Treuga conventionalis est, quæ mutuo partium consensu inducitur, ac proinde sicut alii contractus, ex partium conventionem legem recipit & modum. & hæc omni hosti cui promittitur, servanda est, propter obligat onem naturalem, quæ ex conventionem inter Principes belli celebrata, oritur, qua omnes promissis conventis fidem servare tenentur. *can. 3. caus. 23. quest. 1. & can. innocens. c. 22. quest. 4.*

OBJECIES. Laudabilis est & bonus dolus, per inventa & excogitata stratagemata hostem fallere. *l. 1. §. 3. ff. de pactis;* ergo non est hosti servanda fides. R. Ipond. Concess. anteced. Nego consequ. Quia stratagemata & dolus locum habent durante bello, & quidem iusto, non autem initâ pace, cum pacta violare laudabile non sit, sed legibus reprobatur. Hinc non solum ipsa pacis fractio;

K 2

sed

sed & callida & malitiosa ejusdem interpretatio
licita est, & jure prohibita, quâ de causâ à Cicerone
de officiis damnatur ille, qui post inducias cum ho-
ste initas, per triginta dies depopulatus noctu
agros, sub hoc prætectu, quod dierum non noctu-
um induciæ pactæ fuissent.

QUÆRES 2. Si pax vel treuga ab uno pa-
cipientium fracta fuerit, an nihilominus ab altero
servari debeat? Respond. Vel pax frangitur facta
privato, vel publico; si prius, pax non debet
solvi, sed satisfactio peti; si posterius, pax censetur
rupta, & absque nova belli indictione arma re-
sumi possunt juxta commune proverbium, fran-
genti fidem, fides frangatur eidem. *Gonsal. cap. I. h. l.*
num. 16.

TITVLVS XXXV.

De
Pactis.

QUÆRES 1. Quid sit pactum & quotuplex?
Respond. Pactum à pactione seu paciscendo
dictum definitur, duorum, vel plurium in idem
Consensus seu placitum. l. 1. ff. h. t. dividitur primo in
publicum, cujusmodi sunt fœdera induciæ pax, &c.
quæ ob causam reipublicæ sunt *l. 5. ff. h. t.* & priva-
tum, quod privatam utilitatem concernit. Se-
cundo in expressum quod constat consensu, verbis vel
litteris declarato; & tacitum, quod præsumpto pa-
cipientium consensu factum censetur, prout v. gr.
qui debitori chirographum reddit censetur pacisci
de non